

18  
TRABEATAM  
HONORIS  
SCALAM

FASCIBUS PRÆ-CONSULARIBUS,  
VIRO

PER-MAGNIFICO, MAXIME STRENUO,  
GENEROSO, AMPLISSIMOQUE

DOMINO

JOANNI JACOBO  
BRAKENHAUSEN,

CONSULI HACTENUS CIVITATIS GRAVISSIMO,  
ECCLESIARUM CURATORI, SCHOLARCHÆ

ET p. t. JUDICI TERRESTRI,

NEC NON PROVENTUUM S. R. M. POL. PORTORII  
PRÆFECTO VIGILANTISSIMO,

PUBLICA INTER CONGRATULANTIUM VOTA

A. O. R. MDCCLI

FELICITER FAXIT DEUS!

OBLATIS,

IN TESTIMONIUM

PIETATIS DEVOTIQUE ANIMI

D. D. D.

MUSÆ ELBINGENSES

MENTE OBSERVANTISSIMA, TENUIQUE AVENA

JOANNIS LANGII,

GYMN. RECT. ET BIBL.

---

ELBINGÆ, STANNO PREUSSIANO.



PLIN. in TRAI.

Magistratus magistratu, honore honos petitur.



**R**ebus in humanis, quas dirigit altus olympi  
Et maris & terræ sapiens Moderator opimæ,  
Tanta latet ratio, manat sapientia tanta,  
Ut quæ supremis mundi produxit in horis  
Cœli scepra tenens, fœcundæ matris ad instar  
Causa futurorum dicantur fonsque perennis.  
Hunc, qui sectantur celebratæ castra sophiæ,  
Nexum perpetuum, rerumque vocare ligamen  
Optant, venturis quo jungunt fata priora.  
Adspice flammivomo fulgentem lumine mundum,  
Terras frugiferas, Neptuni regna profunda,  
Cœruleo solis radiantes fulgure tractus:  
Adspice quæ fiunt, quæ quondam facta videntur,  
Quæque volente DEO prostremo tempore fient,  
Nonne perantiquas in mundo cuncta tuentur  
Leges, quas voluit seruari Conditor orbis?  
Sic noctis placido sequitur vestigia gressu  
Alma dies, urgentque diem crescentibus umbris  
Currentem cœlo tenebrôsæ tempora noctis,  
Quæ fuerant hyemis boreali frigore victa,  
Laxantur veris, zephyrique tepentibus auris;  
Ver contra sequitur, redivivum sirius ardor  
Æstatis, lætam pluvius quam denique pellit  
Autumnus, brumæ rigidus præcursor acutæ.

Sed latitans eadem procurrat regula factis,  
Quæ noctro veniunt animo, mentisque vigore,  
Quæque oculis hominum celebrata laude terendos  
Vel mores atro signandos sæpe lapillo

Exponunt. Nostro quid quæso tristius ævo?  
Quid pavido gravius sonitu? Quid voce tubarum,  
Bellona arva virosque suo madidante cruore?  
Quid contra nostras mulcet dulcedine mentes  
Majori, recreans hominem, terramque, polumque,  
Quam si, quæ Cererem nutrit, concordia floret?  
Ast quæ bellorum genesis? Quæ pacis origo?  
Quæque triumphalis pompæ, quæ cladis iniquæ  
Causa caputque valens? Horum quæ meta fatorum?  
Pax generat bellum, producit mitis olivæ  
Progeniem bellum. Nam quæ pax limina Jani  
Occludit Romæ, referat Bellona cruenta.

Anne igitur mirum, factorum laude perennes  
Romulidas, quorum celebris penetravit in orbem  
Aquila, servato rebus constranter in Urbis  
Ordine, purpureos habitus, populique curules  
Atque magistratus nitidos petiisse, novumque  
Munus muneribus, fascesque dedisse securi?  
Quod si etenim faustum Janus protruderet annum  
Ac lætas Patrum spectaret cura calendas,  
Non nisi tentatis Superis, populoque Quirini  
Accito, his patuit generosus lictor eburque,  
Quos peravitus honos, argenti pondus & auri  
Certum, quos viridis maturi temporis ætas,  
Quos Patriæ Patribus prudentia denique mira  
Commendat, rutilis armis lauroque probata.  
Hinc ordo viguit, viguit nexusque in honore.  
Primus enim gressus, primos si respicis annos,  
Insignis QUÆSTURA fuit, quam ÆDILIS honores  
Excipiunt gravidi, quales CENSURA secuta est.  
Hac tandem fama digno PRÆTURA dabatur.  
Ultima scala decus generosum CONSULIS illi  
Contulit, ex Patribus Patriæ qui certus amicus  
Ac Palinurus erat. Sic splendens purpura fulget,  
Sicque novos fasces sustentat fella curulis  
Ac ebur attalicum sentit nova pondera Romæ.

Hic mos imperii summum primumque SENATUS  
Optandi solium, placuit tam Dardanidarum  
Genti, quam quibus, illustri de stemmate natis,  
Elbingæ Nemesis confert moderamina rerum,  
Nec natura parens, ratio nec tradita coelo  
Saltum profequitur celerem, cursumque citatum,  
Sed pede Cœlipotens producit munera lento,  
Nec nisi cunctando festinat pandere gressum  
Ad summos Patriæ titulos rutilosque secures.

Ordinis hunc salubrem decursum rebus in amplis,  
Accensosque DEUS cœlestibus ignibus ignes  
Servavit sapiens GENEROSA GENTE DOMOq;  
BRAKENHAUSIADUM. Non manes tango silentes.  
Non Te, PRÆCONSUL, Qui tristi morte peremptus,  
Tandem vixisti Nobis, tandemque: Valete!

Dixisti repeto, perdignum laude perenni;  
Sed cano viventem, Quem, BRAKENHAUSIADARUM  
DULCE DECUS, comunt Ejusdem GENTIS avitæ  
Nomen, splendor, honos, virtus, artesque politæ.

Ast Tua MÆCENAS, VENERANDI PATRIS IMAGO,  
Qvis valeat calamo taciturnus fata serena,  
Fortunamque Tuam prudens æquare canendo?  
Ut primum gratus venisti ad littora Drusi,  
Te doctum, Themidos scandentem limina sancta,  
Ignifer ad meritos animus deduxit honores,  
Optima qui posses doctrinæ prodere signa  
Ac Urbem patriam factis implere probatis.  
Hinc Tu sollicitum docuisti verba Clientem  
PATRONUS. Civi sapiens MEMBRUMq; CAPUTq;  
ORDINIS auctor eras, COMMUNEM quem vocat omnis,  
Quam primum sanctum voluit Te intrare SENATUM  
Enthea cura DEI, rebus majoribus aptum,  
Munera muneribus, titulis sunt additi honores  
Sæpe Tuis. Dubios posuisti per fora lites  
JUDEX UBRANUS; TERRESTRIS, jura peritus  
Commendaisti agitanda colono munera JUDEX.  
Tu CENSOR dictus moderandis moribus Urbis,  
PRÆFECTUSq; REI PISCANDI Tu meruisti  
Dexteritate Tua summæ præconia laudis.  
Quid vero QUÆSTORI? Quid CAMERARIO AB EXTRA  
Publica tota Tibi Drusorum resque salusque  
Debeat, agnoscunt omnes. Sed plura supersunt.  
TEMPLA suum CURATOREM Te, Teque SCHOLARCHAM  
Lætantur Musæ, qui consulis æque TYPORUM  
ARTI PRÆFECTUS perdoctus chalcographorum,  
Et REGIS REDITUS CONSUL PORTORII honestos  
Curasti. O titulos sanctos! o nomina quanta  
Te, PATRONE, decent, decuerunt, OPTIME, quondam!  
Jam majora petis. Summos conscendis honores  
Urbis honore Tuo, festini fideris instar,  
Colligis atque Tuæ virtutis præmia digna.

Salve hinc, PRÆCONSUL, MÆCENAS MAXIME! Salve  
BRAKENHAUSIADI felix successor honoris,  
Et lictore capax, præstansque securibus amplis  
Magnificam Patriæ sellam conscende curulem!  
Te [DEUS intendat!] Druso plaudente, PATRONUM  
Fata diu salvum, varia Te parte beatum  
Reddant atque Tua sæclis haud enumerandis  
In sortem patriæ fortunent consilia Urbis,  
Sic vigeas faustus, vireasque diu VICE - PRÆSES!  
BRAKENHAUSIADÆ vivas o GLORIA GENTIS  
Felix, incolumis, celebris per tempora longa,  
Quo Tibi, PATRONO, post hæc majora canamus!

